



AA

PROCANCELLARIVS
D. CHRISTOPH. DONDORFF

FACVLTATIS IVRID. LIPS. SENIOR
CVR. PROVINC. IN INFER. LVSATIA
ASSESSOR

SVM MOS IN VTROQVE IVRE
HONORES

DN. MAVRITIO AVGVSTO
Engel

D. XI AVG. MDCCXXXV

CONFERENDOS INTIMAT.

LIPSIAE
LITTERIS BREITKOPFIANIS.



PROCANCELLARIUS
D. CHRISTOPH DONDORFF

CAUSAE CIVILIS IURIS PRAESIDIUM

CAUSAE PROVINCE IN IURE LEGALIA

ASSessor

SYMPOSIA IN VIROVE IURE

HONORES

DR. MAURITIO AVGVSTO

1681

1700

CONFIRMATIO

1700



Manifestissimi Iuris est, iuramentum in religiosa rei alicuius assertione consistere, in cuius maiorem fidem Deus ipse vindex & ultor perfidiae inuocatur; haec assertio tali conscientiae vinculo ligata sine omni aequiuocatione verbali vel mentali, secundum mentem deferentis fiat, necesse est, *c. 11. 12. c. 22. qu. 1. BALDWIN. de Casib. Conscient. L. 2. c. 9. cas. 7.* quomodo in rebus praeteritis, praesentibus & futuris praestandum sit iuramentum *ex cap. 18. § 26. X. de Iurciur. videntum*; assertio autem haec religiosa ideo dicitur, dum temporalis & aeternae salutis in perfidos iactura & periculum animae in huius praestatione consistit; Merito hinc deplorandum, quod iuraturi tanta audacia & tanto pruritu in iudicio ad iuramentum prouocent: *Sie wollten und könten es beschwören*, praepriis in causis iniuriarum, edocti, quod iuramenti praestatione aduersae parti neganti purgatorium imponatur cum expensis, cum tamen causae leuissimae interdum non tam obiter tractandae, cum vt plurimum denunciante auctores rixae, & haec assertio ex malitia, iracundia & vindicta veniat. Nec minori modo dolendum, quod tales iuraturi ab aliis eiusdem farinae, imo nonnunquam a causarum Patronis, incitentur, ut reciprocum officium praestent, vel, si mauis, a Clientibus vnicum Ioachimicum acquirant, & ex lucro vilioris pretii animam miseri Clientis detrudant ad extremum periculum. Vt
2
autem

autem iuramenti validitas appareat, requisitum formale confisit in eo, vt Deus omniscius vindex inuocetur, si contraherit iurans; exin simul apparet, has iuramenti veri & solennis nomen vix mereri obtestationes, quae a leuioris conscientiae hominibus euomuntur; simulque constat, soli Deo cultum adorationis, non angelis aut aliis creaturis competere, vti eleganter demonstrat STRVV. *Tr. de Inuocat. nom. diu. apbor. 37.* adeo, vt nec verbo *δελτας*, quam angelis & sanctis, *λατρετας* vero Deo tribuendum putant aduersarii, excusari poterit error, prout BALDVIN. *de Casib. Conscient. l. 2. c. 5. cas. 5.* dilucide demonstrat: Hinc facile resolui poterit quaestio, an per angelos iuramentum sit praestandum? quae controuersia varios ab vtraque parte stantes cum acceperit assecras, quid de hac sentiendum breuibus demonstrabimus. Qui affirmatiuam fouent opinionem, varia argumenta ex Iure diuino pariter ac humano colligunt; iuramentum enim referunt per caput suum, it. per genium Principis, approbatum *l. 3. §. f. l. 45. §. 33. ff. de Iurciur. it. ex l. 1. C. de Summ. Trinit.* in primis ex *Novell. 8. c. 3.* & si iuramentum per angelos referatur ad ipsum Deum, cuius maiestas in illis existat, subsistere autumant. vid. VALLENS. *ad I. Canon. l. 2. t. 25. n. 3.* Imo, maiorem fidem vt nanciscantur, allegant locum *1 Timoth. V, v. 21.* Ast haec argumenta solida & genuina ratione destituta exinde apparet; ista enim iuramenti formula per caput suum, aut genium Principis, Deum vindicem non excludit, sed subiectum denotatur, in quod vindicta Dei exerceri debeat, prout COLLEG. ARGENTOR. *tit. de Iurei. th. 14.* deducit; & si flatum istorum temporum ante reformationem inspiciamus, facile colligere possumus, quod antiquis temporibus praescripta nostro iam aeuo abrogata, adeo, vt euangelicae doctrinae addictis iuramentum ad Deum dirigerent, eiusque sanctum Euangelium iuxta *Rec. Imper. Spir. 1544. §.* *So viel das Recht Rec. August. 1555. §.* Und denn diene weil, STRVV. *I. Ciu. Exercit. 17. th. 8.* Quod denique locum ex *1 Timothi. V.* attinet, haud incomtam subministrat explanationem PETR. MÜLLER. *ad STRVVII Synt. I. Ciu. Exere.*

Exerc. 17. th. 8. scil. angelos ibidem in testimonium vocari, prout homines praesentes per obtestationem nudam, tanquam testes appellari solent. Certum itaque cum sit, non per creaturam, sed Creatorem, Iac. V. verum praestandum esse iuramentum, hinc nec per angelos fieri posse certum est, quamvis talis promissio obliget eodem modo in conscientia & peccatum committat, qui sciens ac volens contra conscientiam facit, si falsum fuerit, quod sub tali promiserat iuramento ob non seruata fidem, *c. mouet 16. c. 22. q. 1. §. c. 26. X. d. iurciur.* Ast diffiteri haud possumus occasione angelorum varia in Iure tam publico quam priuato, vtriusque status & ecclesiastici & secularis, occurrere, quae adhuc hodie obseruantur; quem enim ordo St. Archangeli Michaelis latet, de quo LIMNEVS in *not. regn. Franciae l. 4. c. 5.* BECMANN. *Notit. dignit. illustr. diff. 16. §. 6.* Quid dicendum de Festo Michaelis, cuius originem Pontifici FELICI anno 480. adscribit MATTH. DRESSER. *de fest. dieb. & cuius festi solennia in c. 1. d. 3. de consecrat. reperies, item Sanctio Imperii nostri Rom. German. August. Anno 1549. tit. Von denen Ceremonien; addatur Ordin. Eccles. Elect. Sax. Tit. Von denen sondern Festen; Addamus effectum, qui circa festum Michaelis ostenditur in terris Electoratus Saxon. circa computationem salarii a ministro Ecclesiae demortuo promeriti iuxta *Const. Eccles. sub rubr. Wie es in Consistoriis mit Abtheilung gehalten wird; CARPZ. Iurispr. Consist. l. def. 172. et 199.* quomodo in distributione anni gratiae, quem Pastoris viduae ac liberi lucrantur, procedendum, in *Ord. Eccles. d. l.* praescribitur. Elegantem computationem nuperrime in binis Programmatibus Illustris Dn. CARL OTTO RECHENBERG, Facult. Iurid. Ordinarius Magnificus, Patronus noster summo pietatis cultu venerandus, deduxit: Plures adhuc in Iure occurrunt effectus circa donationes, quae angelis fiunt, legata et fideicommissa, quae certis locis, ecclesiis, angelis dicatis, ordinantur; sed percurrere istos casus pagina prohibet. Oc-*

caſionem autem huic meditationi dedit Nobiliſſimus, Cla-
riſſimus Candidatus,

Dom. MAVRITIVS AVGVSTVS Engel,

Natus eſt, Burgſtadii prope Chemnicium, anno ſeculi hu-
ius XIII. d. XIII. Cal. Decembr. Patrem veneratur,
quem Deus ipſi quam diutiſſime ſuperſtitem eſſe iubeat,
Virum pl. reuerendum, M. MAVRITIVM Engel, Pa-
ſtorem de coetu ſacro patriae per ſex et triginta annos
optime meritum. Matre IOHANNA DOROTHEA, ex
Hilligeriana familia, patre ſcil. olim paſtore ad D. IACOBI
aedem apud Chemnicenſes fideliffimo, nec non circumia-
centis tractus Superintendentente meritiffimo, et Inſpectore
Scholae grauiffimo, orta. Ab his initio, vt in literis profi-
ceret, priuatis praeceptõibus traditus, deinde quam primum
per aetatem licuit, in publicam, quae Chemnicii floret,
Scholam miſſus, optimorumque magiſtrorum, MÜLLERI
praecipue, Rectoris, et GVHLINGII, eiusdem loci nunc
Diaconi, inſtitutione ſolida in elegantioribus, quas dicunt,
literis per duos et dimidium annum uſus eſt, per quos me-
lioribus doctrinis profeciſſe fatetur. Inſtructus igitur his ſub-
ſidiis Lipſiam, ad mercaturam bonarum artium, profectus tri-
geſimo currentis ſeculi anno, et inter ciues Academicos a Recto-
re Magnifico, Dn. CAROLO GVILIELMO GAERT-
NER, I. V. D. et d. V. S. et Reg. Iur. P. P. Ordin. d. 5.
Non. Mai. d. a. beneuole receptus eſt. Vbi poſtquam Phi-
loſophiae et Inſtitutionum, vt et Collegii Philoſophici elab-
oratorio - practici praecepta a viro Excellentiffimo, AVGV-
STO FRIDERICO MÜLLERO, Profefſore publico,
felici cum fructu hauſit, his peractis totum ſe dedit Iuris-
prudentiae, atquae praelectionibus publicis et priuatis Viro-
rum Illuſtrium et Ictorum Excellentiffimorum, MICH.
HENRICI GRIENERI, Ordinis Iurid. Lipſ. Ordinarii
olim grauiffimi nunc vero pie defuncti, et CAROLI OT-
TONIS RECHENBERGII, eiusdem nunc ſucceſſoris
longe digniffimi, imo etiam ſupra laudati GAERTNERI,
pari-

pariterque GEORGII CHRIST. GEBAVERI, praecipue vero Viri Cl. et Consult. Doct. HENRICI CHRISTIANI HAA-CKII, cui non parum in Theoria et Praxi Iuris se debere intelligit, per quatuor et dimidium annum assidue interfuit, et his ducibus omnes Iurisprudentiae partes est perscrutatus. Disputationem, de Tortura ex foris Christianorum non pro-scribenda, sub praesidio Doct. HAA CKII anno huius se-culi XXXIII. prid. Calend. April. habuit. Quo facto eodem anno d. VI. Id. Iun. ab Illustri ICtorum Ord. Lips. ad tenta-men lege publica praescriptum aditum consecutus, et speci-mine relationis ex Actis confecto, institutoque examine per-acto, dignus Aduocati munere iudicatus et vno eodemque actu Notariatus dignitatem adeptus est. Impetrato a Faculta-te testimonio, eoque in Regimine Regis ac Principis nostri Serenissimi rite producto, postea in matriculam Notariorum receptus et ad Notariatus praxin, vt et ad alterum specimen, quod norma legis publicae postulaturi praesent et conficiant, elementissime admissus est. Haectenus per dimidium annum in patria commoratus, de honoribus vtriusque iuris conse-quendis cogitauit, & ad specimina exhibenda animum con-uertit. Paucas igitur ante dies Lipsiam se contulit & licen-tiam summos Iuris honores capeffendi ab Illustri ICtorum or-dine decenter & modeste petiit. His petitis honestissimis Facultas nostra eo lubentius annuere voluit, dum antea iam vires eius explorauerit in Examine pro Praxi. In binis itaque examinibus, quorum vltimum rigorosum vocatur, toti Ordini studiorum & Iuris scientiam ita demonstrauit, vt ipsi honores in Iure summi conferendos, merito vnanimi consensu decreuerit. Cumque a Reuerendissimo et Serenissimo Principe ac Domino,

Domino HENRICO,

Duce Saxoniae, Iuliae, Cluinae, Montium, Angriae et Westphaliae, Episcopatus Marrisburgensis Administra-tore, Thuringiae Landgrauio, Misniae et vtriusque Lu-sariae Marchione, Comite Principalis dignitatis Henne-bergico, Comite de Marca, Rauensberg et Barbey, Do-mino

mino in Rauenstein, et reliqua, Academiae nostro Cancellario perpetuo, Domino meo Clementissimo,

Mihi ad hunc actum munus Procancellarii, simulque facultatem, Promotionem hanc ut expediam, clementissime demandauerit, huius intuitu Virum Praenobilissimum, Consultissimum, Excellentissimum Dn. Doct. IOH. CHRISTIANVM KOENIGIVM, Facultatis nostrae Assesorem, Subseniorem, Collegam nostrum aestumatisimum, constituere Promotorem volui, ut praelaudato Candidato nostro Iura et priuilegia, quae Licentiatis & Doctoribus Iuris vtriusque, extra Facultatis sessionem & suffragium, conueniunt, conferat; et ut haec rite per omnia peragantur, antea die 10. Augusti hor. 2da in Auditorio Petrino Lektionem ad *Leg. 29. C. d. Transaction.* absoluet, et die sequenti Promotioni dicato Disputationem Inauguralem, *de Relatione Iuramenti a Iudice iniuncti*, absque Praefide tuebitur Candidatus noster. Cui solennitati ut Rector Academiae Magnificus, Comites Illustrissimi, vtriusque Reipublicae Patres Grauissimi, cum Generosissima Nobilissimaque Studiosorum corona interesse velint, omni reuerentia et humanitate rogo, redhospitenti loco quaeque officia pie offero. Dab. Dom. IX. p. F. Trinit,
Ao. MDCCXXXV.



Helmsledt, Diss., 7706-08

X 241 90 83





111

PROCANCELLARIVS
D. CHRISTOPH. DONDORFF

FACVLTATIS IVRID. LIPS. SENIOR
CVR. PROVINC. IN INFER. LVSATIA
ASSESSOR

SVM MOS IN VTROQVE IVRE
HONORES

DN. MAVRITIO AVGVSTO
Engel

D. XI AVG. MDCCXXXV
CONFERENDOS INTIMAT.

LIPSIAE
LITTERIS BREITKOPFIANIS.

